12

LECTORI BENEVOLO

D. JOHANNES BOHN,

Therap. Prof. Publ. & Reipublicæ
Patriæ Phyſicus,
FACULTATIS MEDICÆ
in
ACADEMIA LIPSIENSI
p. t.
PROCANCELLARIUS.

Salutem!

ARti, ad qvam amiſſam ſanitatem reſtaurare & morbos tollere ſpectabat, eisqve, qvi hanc exercent, non raro ejusmodi obvenire Affectus, qvos nullo ingenio, nulla induſtria, ſuperare licet, non alumni tantum noſocomii illius Venetorum famoſiſſimi, *Hoſpidal dell' Incurabili* appellati, miſeri, ſed cujusvis terrarum anguli ſub morbis pertinacioribus ingemiſcentes, deplorati ac deplorandi, miſero ejulatu & funeribus ſuis teſtantur. Ac hujus generis pathemata multifaria obſervantur, non illa tantum, qvæ per ſpeciem ac indolem ſuam, i. e. per ſe, minus ſanantur, ſed morbi pariter, qvi, qvamvis natura ſua curabiles exiſtant, propter conditiones tamen ac circumſtantias qvasdam ſui non raro in θανατηφόρους & incurables degenerant, atqve omnem Artis potentiam ſubſannant. Ut mirari veniat, cur vulgus olim ſoli Hydropi & Qvartanæ præ aliis infirmitatibus tantam cacoëthiam & ferociam adeo indomabilem asſignarit, qvæ in cavillum figuratum penes illum abierit:

Hydrops, Qvartana Medicorum ſcandala plana. Cum neminem, Medicâ peritia vel leviter tinctum, latere qveat, plures longe earum & tantum non infiniti numeri occurrere, v. g. morbum comitialem, apoplexiam, maniam, melancholiam, viſcerum indurationes, horum ulcera, calculum, ſphacelum, cancrum, plagas cordis, epatis, vaſorum, ventriculi &c. qvæ aut nunqvam, aut raro, aut difficulter, ſanantur, ita ut, qvi vitia ejusmodi evaſerit,

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

ſerit, Fato potius, qvam Arti, ſalutem debeat; hinc dubitare liceat, an bini hi affectus rhytmo, an rhytmus illis, occaſioni extiterit, i. e. qvo jure hi præ aliis approbrio vergant Medicis? Ratione Qvartanæ eqvidem in propatulo eſt, & aliorum non minus ac propria, edocemur experientia, eam, annotante e. g. *Foreſto 3. de Febr. obſ. 32.* utplurimum ad ſextum menſem, aliqvando ad annum, extendi, imò plusqvam contumacem interdum & chronicam ſatis evadere, dum idem *Foreſtus* l. a. & *Fernelius 4. pathol.* c. 4. novem, cum *Avicenna Bacchanellus* duodecim, annorum obſervarunt, *Maſſarias de febr. cap. 11. & 22.* Matronam qvandam Venetam viginti duos annos tali laboraſſe, *Rhodius cent. 1. obſ. 14.* H. F. ab Aqvapendente Conjugem tredecim, *Wierus obſerv. de Qvartana* binos triginta tres, alios octodecim, qvinqve & ſeptem. annos hac exagitatos fuiſſe, perhibent. Ut horum forſan ſimiliumqve exemplorum intuitu haud omninò inepta videatur pictura illa, qvam ex relatione Julii Alexandrini *Diomedes Cornarius obſ. medic. præmed. c. 3.* deſcribit: in qva ſc. omnis generis febrium depictarum ſingulæ coram Medico adſtante genua flectebant, ſola excepta beſtiali & maledicta Qvartana, qvæ hoc minimè præſtabat, verum poſteriora corporis illi oſtendens, ſe Medicorum qvaliacunqve præſidia rejicere ac floccipendere, geſtu hoc innuebat. Qvibus nihilominus ac paribus obſervationibus opponere concedatur *primo* illud *Hippocratis 2. aph. 25.* Qvartanas æſtivas breves exiſtere, tot practicorum experimentis confirmatum, v. g. *Primiroſii de febr. 3. cap. 10. Foreſti l. a. obſ. 32. in ſchol. & Jones de febr. intermitt. part. 2. cap. 8.* Nec *ſecundo* autumales ſemper ejusdem aphoriſmi Hippocratici longitudinem æqvare, perhibent Scriptores bonæ fidei & magnæ peritiæ, i. e. non raro harum qvoqve febrium paroxysmos brevi evaneſcere, aut diutius ſeu crebrius hactenus affligentium medelam levibus ac paucis poſtmodum remediis fuiſſe abſoluta-

lutam ut videre eſt penes *Foreſtum* 3. *obſ.* 31. 32. 34. 38. 39. *Riverium cent.* 1. *obſ.* 39. *cent.* 2. *obſ.* 66. *cent.* 3. *obſ.* 50. 55. 58. 91. 96. 98. 99. 100. & in *append.* ad hanc Centuriam, *Cent.* 4. *obſ.* 13. 30. 35. 62. & 84. *Platerum obſ. p.* 302. 304. *Poterium cent.* 3. *cap.* 54. 55. 56. ac 57. *Horſtium* 1. *obſ.* 16. *Diomed. Cornarium obſ. med. præmed. c.* 3. *Gabelchoverum cent.* 6. *obſ.* 76. & 77. *Reusnerum obſ.* 120. & *Rhodium cent.* 1. *obſ.* 13. Qvalem Qvartanarum autumnalium brevitatem ac curationis facilitatem itidem obſervare contigit ſub epidemica conſtitutione hujus loci & anni 1681. & 1691. aliisqve hinc inde temporibus: qvibus intra ſeptem, imo qvatuor, nonnunqvam periodos illas ſolutas & ſanatas recordor, ut fidem illius diverbii ratione hujus morbi ſubleſtam qvi pronunciet, Medicinam ab opprobrio naſutulorum, qvartanarios à deſperatione, vindicet. Et, ſi dicendum, qvod res eſt, gemina imprimis ignorantiæ proles ſcommati huic primam occaſionem ſuggeſſiſſe videtur: vel qvod radicem omnium hujus generis febrium unam eandemqve ſibi conceperint homines nonnulli ſtupidioris ingenii, vel qvod in medendo his minus dextre egerint. Duplicis nimirum, ſi vel obſervationum Medicarum prudentiores Collectores conſulamus, vel qvotidianã accuratius attendamus praxin, deprehenditur indolis febris hæc: qvarum unam primigeniam, originalem ſeu veram, alteram ſecundariam, ſymptomaticam ac ſpuriam appellare fas erit. Illa nullam procatarxin, cacochymiam nempe, viſcerum dyſcraſiam, febrem aliumve morbum præcedaneam novit, ſed ex ſe & ex minera propria emergit, per errorem in diæta, ſive circa aerem, ſive alimenta ſimileve commiſſum, aut per Climatis diſpoſitionem epidemicam: Hæc à notabili aut humorum pravitate, aut viſcerum anomalia, utraqve chronica, fovetur, proin harum propago eſt. Prior ſicut omni periculo vacat, ſic brevi ac levi qvoqve reſiſtentiæ ſeu medelæ cedit, & parum admodum moleſtiæ, nihil op-

pro-

probrii, Medico perito creat: poſterior verò plus ingenii, plus laboris, exigit, imò aliqvando utrumqve eludit, dum vel in cachexiam, tabem ac hydropem funeſtum conjicit ægrum, de menſe in menſem, de anno in annum illius, paroxyſmi hujus corpus exagitant atqve enervant. Primum hunc medentium errorem dum excipit alter, i. e. dum diverſæ adeo indolis febrem uni eidemqve medendi rationi, eiqve frivolæ ſatis, aliqvando ſubmittunt, non poteſt non ex leviore ac blandiore contumax & dira magis fieri illa, & qvalem vel natura, vel artis exigua adminicula, in prima ſtatim ſuffocare potuiſſent herba, ignarorum ejusmodi Medicaſtrorum magna molimina longius protrahunt ac pejorem longe morem ipſi imprimunt, per ſangvinis miſſiones nempe ineptas, qvibus, notante *Sydenhamo de morb. acut.* in juvenibus qvartanam ultra ſex menſes, in ſenioribus ultra annum, elongant, hosqve demum trucidant; per catharctica ac emetica potentiora, qvibus corpus præter modum exagitant; julepos refrigerantes, qvibus viſcera inundant, cruditates in his ac ſangvinis maſſa, jamdum ad cruditatem ſummam depreſſa, cumulant, ac tandem omnem hujus vigorem ſuppprimendo adagio illo Gallico: *En la fieure & en la Goutte*

Le Medicin ne voit goutte.

plus autoritatis impetrant. Proin, qvando inter cœtera imperitiæ ſuæ aſyla etiam hunc canonem plebi rudiori perſvadere annituntur, qvaſi *febres hæ præpoſtere ſeu ſubito ſe ſanari haud patiantur*, genuinam illarum therapeiam ſe ignorare inviti profitentur, virtutem & adminiſtrandi rationem corticis Peruviani, febrifugi fidi, tuti ac efficacis, neſciunt, aut neſcire malunt, hinc Saturninum motum indulgent, ſi non conciliant, nugis ſuis Qvartanæ, ad excidium usqve illorum, qvibus Apollinis numen iratum contigerat. Facete verò, pro more, haud inepte tamen, non nemo olim Rhytmum illum vulgi corrigebat hunc in modum

 Ces-

Secus forſan res ſe habet plusqve valoris obtinet idem, qvoad Hydropem, morbum adeo dirum & funeſtum, ut longe plura ab hujus, qvam ullius Affectus, atrocia *miſta Senum ac juvenum* (juxta Poëtam) *denſentur funera*, ſeu cui aut nulla omnimodè, aut rarioris obſervationis, conceditur medela vel à Statoribus Medicinæ ſummis. Qvatenus *Hippocrates* v. g. *de intern. aff. t. 27.* inqvit *Morbus gravis eſt hydrops, & pauci hunc effugiunt*: ac *Aretæus 2. de cauſ. & ſign. diut. morb. Ab hydrope perpauci liberantur, idq́ felicitate qvadam, ac Deorum potius, qvam Artis, auxilio.* Creſcit qvippe eousqve, & qvam velociter qvidem utplurimum, Lymphaticus ille Error, ut ſibi indulgens viſcera brevi ſuffocet, & ex vaſis gliſcens ſerum modò caput, modò abdomen &c. ſesqvipedale reddat, non obſtantibus præſidiis infiniti generis, qvibus elutriare ſatagit Medicus ſerum profuſum atqve ſtagnans, & qvidem per varia emunctoria corporis naturalia: in qvibus Chirurgia minime acqvieſcit, plagis & ulcuſculis diverſis extraordinarias ſimul vias parans. Subducitur his aqva, ſubſident tumida membra, miteſcunt ſymptomata; aſt undatim mox nova confluit unda, propenſe denuo elevatur aqvaliculus, & præcordiorum anguſtia ſuffocatoria non ceſſiſſe, ſed ad momentum tantum delituiſſe ac inducias ſimulaſſe, videtur, i. e. ſecundum Gallorum dicterium

l' Hydropiqve fait aux Medecins laniqve.

Qvamcumq́ enim ex hypotheſibus vel antiqvorum, vel modernorum tibi diluvii hujus microcosmici concipias cauſam, hoc eſt, cum illis dyſcraſiam viſcerum tantam, per qvam loco ſangvinis rutilantis, ſpiſſioris ac ſpirituoſi, laticem aqvoſum, vappidum atqve frigidum illa generent, aut aqvoſitatem eſculentorum ac potulentorum juſto uberius attrahant vel admittant, ac, qvominus rite diſtribuatur & à cruore ſeqveſtretur, præſtent; cum his vel vaſorum lacteorum ac lymphaticorum rupturam, vel tubulorum, arteriis ac

venis & lymphaticis intermediorum, laxitatem præternaturalem, per qvam, impedito imprimis ſimul ſeri refluxu, huic luxurioſa magis diapedeſis concedatur; cum utrisqve viſcerum ſcirrhos, exulcerationes aut qvascunqve anomalias: organorum horum atonias, corruptelas, & indurationes emendare, colluviem aqvoſam ad naturam ſangvinis laudabilis reducere, rupturas vaſorum conſolidare, ſeri extravaſationes avertere, extravaſatum ad vaſa reducere, aut è loculis & locis præter naturalibus eliminare, novum affluxum interpellare, res ſane qvam ardua & tantum non impoſſibilis videtur. Ut mittam, ſub diuturniore hydrope à circumfluis, qvibus immerſa, aqvis viſcerum texturam perverti, ad ſoliditatem coriaceum ſemicoqvi; glandulas præternaturales in iis generari, imo eadem aliqvando in putrilaginem ſanioſam converti: qvale qvid nunqvam non in cadaveribus morbo illo oppreſſorum mihi cernere licuit, nec horum phœnomenorum teſtimonium detrectabunt, qvibus ſectiones ejusmodi freqventare aut adminiſtrare licuit. Et exiguus forſan erit numerus hydropicorum, qvos Medici cordati & qvi ambitioni ſuæ non abblandiuntur, à ſe ſanatos deponere poterunt, minime æqviparandus illorum, qvos ſuffocatos mecum norunt, multitudini. Nam ſepoſita veterum hujus morbi, de ſangvificatione inſignius læſa, ætiologia, qva ſolertia & qvibus remediis partium ſolidarum indurationibus ſimilibusve conformationis vitiis, à qvibus non raro motus lymphæ, ad profuſionem usqve hydropicam, impeditur, ſuccurrere datur, utpote qvæ inter morbos incurabiles dudum recenſuit Medicorum ſchola. Adeo ut ipſemet *Valeriola*, dum *1. obſ. 2.* Uxorem ſuam, ex hepatis tumore ſcirrhoſo aſciticam factam, congruis præſidiis ac diæta à ſe reſtitutam perhibet, incurabilis hujus affectus ſublationem Dei bonitati ac indulgentiæ magis, qvam medicamentorum viribus, jure

meri-

merito tribuendum cenſeat. Qvis Scorbuto inveterato, Aqvilegii hujus non infreqventi autori, medelam certam pollicebitur? Qvibus balſamis conſolidabis, qvibus vinculis conſtringes Lymphaticorum intus latentium, vel viarum urinariarum, qvarum unitatem ſolutam itidem aliqvando hydropem formare, obſervationes *Plateri*, *Holleri*, *Dodonæi*, *Bartholini*, *Roonhuyſen &c.* teſtantur, rupturas, ulcera, plagas? Qvod qvamdiu difficile, impoſſibile, fruſtranea erunt hydrogoga cuncta & lixivioſa ſalia, à *Sydenhamo de hydrope* ac *Liſtero de morb. Chron. exerc. 1.* maxime decantata, irrita erit Paracenteſis, cum judicio ac dexteritate ſumma etſi adminiſtrata. Qvippe qvantum aqvæ inſtrumentis ac pharmacis his, ad ſubſidentiam aqvaliculi undiſoni notabilem, dyſpnoeæ levamen ſenſibile, appetitus ſtomachi aliqvalem reſuſcitationem, ſubtrahis, tantũ ejus intra nycthemeron aut paucos dies ſcatarigine perpetuo denuo confluit. Proin emiſſariis his nihil agis, niſi ut, removendo priſtinum ſerum novo locum ſeu ſpatium pares, i.e. unda undam pellit, interdum ad ſtuporem usqve. Meminiſſe hic congruum erit Viri, qvinqvaginta circiter annorum, aſcitici, ad qvem Anno 1693. me ducebat Medicus ejus ordinarius, ut de paracenteſi, qvam anxie petebat æger, ſtrangulationi proximus, ſententiam dicerem, ac Chirurgiam, ſi è re videretur, dirigerem. Qva adminiſtrata ac repetita ſucceſſive à ſexto ni fallor, Maij ad decimum qvintum Novembris, qvo Aqvarius hic ſtrenuus ſuffocabatur, centum & viginti duæ menſuræ, qvarum ſingulæ duas libras vulgares cum ſemiſſe pondere æqvabant, ſeri ex abdomine evacuebantur, dum interim & ſimul ex cruribus ſcarificatis, qvantum ſenſibus qvidem judicare dabatur, plusqvam viginti menſuræ. aqvoſitatum ejusmodi ſtillabant, aut rivatim potius promanabant. Detumeſcebat hinc abdomen, aliqvoties plus minus, & qvidem Menſe Junii, Julii & Auguſti, qvibus ſex, ſeptem, qvatuor &c. menſuræ una vice emittebantur,

per

per decem, duodecim ac plures aliqvando dies, ſatis conſtanter & cum ejusmodi euphoria, ut appetitus reſuſcitaretur, facies florida ac vividior redderetur carnes regenerarentur, vires repeterent, qvibus extra lectum ſe continere, deambulare, ſcalas deſcendere atqve aſcendere deplorato huic concedebatur. Recrudeſcebat interim toties colluvies aqvoſa, unde, uti monitum, ad repetendam operationem urgebatur Chirurgus: i.e. per hanc eqvidem lympha errans tollebatur, minus tamen obturabatur ſcaturigo ejus adeo perennis. Qvæ nihilominus ſimilesq; difficultates & rariora ſanatorum hydropicorum exempla haud tanti ponderis cenſeri debent, cur hydropem per ſe & ingenere affectibus abſolute incurabilibus ac Medicorum ſcandalis accenſeamus, & hoc morbo affectos ſoli prognoſtico relinqvamus: cum nemo illorum certo ſcire qveat, an & qvantum noxæ aut vitii viſceribus & humoribus illatum fuerit, Natura etiam, qvæ œconomiæ noſtræ conſervandæ ſollicite invigilat conſulitqve in affectibus permultis, morbifomite exantlato, vel ſponte, vel adjuta, mirum & obſcurum in modum machinetur, qvo ægrum ab his eorumqve reliqviis vindicet ac tueatur, ut ideo neqve Medicus ipſemet animo cadere, nec illi, ut cadat, autor eſſe debeat. Qvippe nec deſunt omnimode exempla eorum, qvos ab undis his eorumqve oppreſſione liberatos autores referunt: & qvidem non fato tantum, ſed artis qvoqve, præſidiis, ſub prudentiore therapeia adminiſtratis. Fato ſalutem ſuam debent, qvos ab hauſtibus potulentorum immoderatioribus, & hydropicis aliàs interdictis, præter expectationem, reſtitutos legimus, v.g. penes *Benivenium de abdit. ac mir. morb. cauſ. c. 12. Langium l. epiſt. 12. Panarolum pent. 2. obſ. 24.* & *Celeberrimum Pechlinum l. obſ. 63.* obortis hinc fluxibus alvi ſalutiferis: qvos à bufonum pulveris, ſub ſpecie topici lethiferi, uſu per diureſin ſupervenientem convaluiſſe, annotarunt *R. Solenander ſ. 5. conſ. 15.* & *Wierus de Præſtig. dæmon. l. 3. c. 35.* Qvos pro-

 fun-

fundius juſto præciſis ungvibus, hincqve cum cruore promanante ſero morbum evaſiſſe perhibent *Scoliogr. Hollerii 1. de morb. intern. c. 39. & Riverius obſ. à Fomio commun. 7.* qvos per ulcera ſponte oborta vel caſu excitata evacuatos teſtantur *Vidus Vidius cur. membr. lib. 10. c. 5. Alexand. Benedict de cur. morb. l. 15. c. 4 Schenk. l. 3. p. 438. obſ. 12. & 13. ac Riverius obſerv. hinc inde decerpt. 15.* Qvos perforato à natura umbilico priſtinam ſanitatem recuperaſſe conſignarunt *Valeriola l. 4. obſ. 3. M. Donatus hiſt. mirab. l. 4. c. 21. Vidus Vidius l. a. Schenkius l. a. p. 440. obſ. 18. Foreſtus. 19. obſ. 32. Riverius cent. 4. obſ. 82. & Frid. Loſſius 3. obſ. 43.* qvosqve per vulnus abdominis, ſive caſu, ſive malitioſe, illatum liberatos innuit *J. M. Paſchalius meth. 1. cap. 44. Rouſſettus de partu cæſ. ſect. 3. c. 3. ac Rhodius cent. 3. obſ. 12.* Arte pariter obſtetricante alios reſtitui teſtantur *Vidus Vid. l. a. Valeriola 1. obſ. 2. & 2. obſ. 5. Foreſtus l. 19. obſ. 27. 28. 29. 32. 35. Platerus obſ. l. 3. p. 633. 634. &c. Schenckius p. 443. obſ. 2. Horſtius 4. obſ. 31. 32. 35. 36. 37. ac 40. C. Piſo de morb. â diluv. ſeroſa ſ. 4. c. 3. Riverius cent. 1. obſ. 70, cent. 2. obſ. 65. 67. 85. 94 97. cent. 3. obſ. 17. 23. 82. cent. 4. obſ. 44. 68. 72. 73. 77. 82. Morbor. infreqv. obſ. 33. & â Jacoz. commun. 10. Sydenham de hydrope, Loſſius l. 3. obſ. 40. 41. 42. & 44. Liſterus de morb. chron. exerc. 1.* confirmatqve idem qvotidiana praxis, cujus ſucceſſus nihilominus vel cauſarum diſparitatem, vel affectus diuturnitatem, imprimis moderari palam eſt. Qvatenus incipiens ac recens, i. e. ubi potior ſeri portio circa vaſorum ſuorum extremitates, ac intra tubuloſas partium fibras, ſeu in harum compage, adhuc tantum ſtagnat, ejusve tantillum ſaltem extravaſatum, viſcera nondum indurata ac corrupta, digeſtiones integræ, præ inveterato ſeu conſummato, i. e. ubi ſeri ad cavitates profuſio major, viſcera texturam naturalem perdiderunt, cruditates humores laudabiles ſuperant, plus ſpei promittit. Hydrops ſine lymphaticorum ruptura, â lympha tantum ſpiſſiore, â cauſa evidente, v. g. potu æſtuante corpore gelido, â menſium obſtructione,

præ-

præſidiis commodis facilius cedit, qvam qvi â vaſorum ſeroſorum, majorum potiſſimum atqve plurium, laceratione, viſcerum anomaliis pertinacioribus, viarum urinariarum unitate ſoluta. A Catameniorum motu interrupto producti Aſcitis, â deobſtruentium congrua adminiſtratione, aliqvoties ſoluti, memini & ſimile qvid ſuperioribus adhuc menſibus obſervavi in Fœmina honeſta, cui poſt partum eadem aliqvandiu deficiebant. Pariter Studioſum qvendum Tertianarium (ante ſexennium circiter) poſt ſeptimum paroxyſmum tanto pedum, ſcroti: abdominis ac capitis tumore intra nycthemeron correptum fuiſſe recordor, ut ipſi ſuffocatio inde immineret; brevi nihilominus hinc, poſt digeſtivorum & catharcticorum uſum reconvaleſcentem. Qvo etiam facit, ſecundum *Celſum*, *Arculanum & Conciliatorem*, illum facilius curari, qvi nullo antecedente morbo naſcitur, qvam qvi aliis ſupervenit, ſive acutis, animadvertente *Hippocrate prognoſt.* t. 8. ſive chronicis, v. g. qvartanæ, ſcorbuto, ictero, phthiſi. Ut taceam, diſparis qvoqve eventus obſervari diverſas hydropum ſpecies, dum aſcites, hydrops pectoris uteri & hydrocephalus internus artis molimina magis eludunt, qvam anaſarca, hydrocephalus externus & hydrocele; niſi forſan anaſarcam aſcites excipiat.

Diſqviſitioni huic ſicut primam anſam ſuggeſſit ita eidem terminum figit *Vir Juvenis Nobiliſſimus atqve Clariſſimus, Dominus* Gottlob Berggold/ *Camentio-Luſatus. Medicinæ Baccalaureus, & ad Islebienſes vocatus Phyſicus*, per Diſſertationem Inauguralem, *De Hydrope*, erudite ſatis conſcriptam, per cujus ventilationem forſan, qvantum in hoc affectu timendum, qvantum, ſperandum, prolixius conſtabit. Autor ejus, poſtqvam in Philurea hac ultra qvinqvennium ab ore & nutu Doctorum Noſtrorum pependit, ſimul tamen Artis medendi fundamenta propria pariter induſtria excoluit, benedicente Summo Archiatro, peritiam in his illam ſibi compa-

pa-

paravit, qvam Præceptoribus non tantum, ſed Facultati qvoqve Noſtræ, modeſtè comprobare non veritus fuit: ſc. in Tentamine non minus Theoretico, ſeu pro Baccalaureatu, qvod ante bimeſtre tempus expertus, ac in Practico ſeu rigoroſo Examine, qvod his modo diebus ſuſtinuit. In qvorum utroqve genuinum Artis Noſtræ Filium ſe exhibuit, ut exantlato poſteriore, qvam petiit, *Licentiam*, Gradum ſummum in ea aliqvando aſſumendi, ipſi denegare haud potuerimus, ſed craſtinas antemeridianas horas Progymnaſmati illi pro Licentia, & hujus ſolenni collationi, decreverimus. Ego proin, cui, ſecundum Facultatis Gratioſiſſimæ literas ſupplices, *â Celſiſſimo ac Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino FRIDERICO AUGUSTO, Duce Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Angriæ & Weſtphaliæ, Sacri Romani Imperii Archi-Mareſchallo ac Electore &c. &c. &c. Domino Noſtro Clementiſſimo*, nomine *Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini MAURITII WILHELMI, Ducis Saxoniæ, Juliæ Cliviæ ac Montium, Angriæ item ac Weſtphaliæ, Poſtulati Adminiſtratoris Epiſcopatus Martisburgenſis & Academiæ hujus Cancellarii perpetui, Domini Noſtri Clementiſſimi, munus Procancellarii* ad hunc actum Clementiſſime delegatum fuit, officii mei memor Magnificum Academiæ *Rectorem*, Utriusqve Reipublicæ Proceres, omnesqve Bonarum Literarum & Artis Noſtræ Fautores, velint Actui huic Præſentiam ſuam honorificam commodare & conatibus Domini noſtri Candidati Benivolentia ſua applaudere, qvam officioſisime rogo, redhoſtimenti vero loco â Nobis & Noſtro grata qvævis Amoris atqve Obſervantiæ genera polliceor. P.P. Lipſiæ, d. 11. Aprilis 1695.

Lipſiæ, Literis JOH. HEINRICI RICHTERI.